

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0430

0428

0434

0424

0439

0419

0479

0379

0529

0329

0929

416

dicens, locum illum insecurem et frequentibus incursibus Arabum formidulosum. Et ita custodes diligentes posuimus et dormire incepimus nec aliquam inquietudinem passi sumus, quamvis in terribili loco essemus.

De periculo tempestatum in arena.

Tertia decima die transacta media nocte surreximus et dejectis tentoriis ac involutis et rebus bestiis impositis a deserto Gayan recessimus. Statim autem ad montem arenosum venimus, quem cum difficultate ascendimus, quia noviter per ventum tempestuosum illuc fuit translatus, et nondum erat arena bene condensata et bestiae incidebant sicut in profunda nive. Insuper ventus in praesentiarum flans sub pedibus nostris arenam tulit et montem iterum deportare et transferre ad locum alium institit, et ipsum jugum, in quo processimus, ad horam continue defluxit, sicut aqua agitante vento, nec valuimus ab alia parte in torrentem descendere propter defluentem arenam, ne in tempestatem veniremus. Magis enim in illis terris, quam in ullo mari naufragium patiuntur, qui in arenarum tempestatem venerint. Tandem autem, sicut oportebat, in vallem descendimus non sine arenae molestia, qua profusi fuimus, cujus profusio in centuplo nobis fuit molestior, quam quantacunque abundantia pluviae. Cum in vallem venissemus, per jam injectam arenam descendimus. Erat autem vallis stricta, cincta ab utraque parte montibus arenosis, et si, quod clementia divina nos tuita avertit, facti fuissent venti contrarii, ab utraque parte arena in vallem defluxisset, et nos usque ad suffocationis pericula coangustasset intolerabilis tempestas, prout saepe perambulantibus desertum in locis istis contingere solet. Repente ergo recurvam vallem processimus et in unum magnum torrentem venimus, quem Arabes nominabant Wadalar. Hic torrens, ut vestigia patentia ostendebant, suo tempore redundat aquis, quas per suum alveum transmittit in mare magnum, quia directe od plagam vergebat maris. Montes hunc torrentem cingentes non erant arenosi, sed petrosi, unde in suo fundo fruteta, arbusta et herbae erant; inter herbas autem alias quaedam erat, quae da sua radice multos ramusculos emittebat,

Ende

Anfang